



Baldvini Cabilliavi E Soc. Iesv Magdalena

Cabilliau, Baudouin

Antwerpen, 1625

Elegia VI. Magdalena Vulnera Christi exosculans.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70461](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70461)

Sumo rubo? mors hinc, inde medela fluit,
 Alterutram dederis dono de dispare sortem;
 Vtraque fors votis dos erit apta meis.
 Fortè sed immemori ne munus id excidat æuos;
 Rex Amor hæc sento præmia scribe stilo:
 Sanguine scribe: Mihi spem Cæli his assero donis;
 Sanguis enim pretium ius mihi spina dedit.

E L E G I A V I.

MAGDALENA *Vulnera* CHRISTI
exosculans.

VVLNERA dū teneris demulcet hūlca labellis
 Magdalis, & toto combibit ore Deum;
 Quina parat quinis decerpere suavia plagis,
 Carpit inexpletis oscula quina labris.
 Vix dedit, è quinis sibi dona regustat amoris
 Pabula, & ô blandas vda per ossa faces.
 Mox decimâ è flammâ centenos fœnerat ignes;
 Et centum vt tribuit, oscula mille rapit.
 Altera rursus amans hiat, altera & altera rursus,
 Alteraque vt clausit oscula, rursus hiat:
 Alteraque innumero numero delibat, & addit
 Millia; & vt dederit plurima, plura vouet.
 O quoties gemit inter hiantia suavia I E S V:
 O Amor! ô I E S V! ô dolor! ô lacrymæ!
 Sit satis hoc. sed enim saties quequam esset Amoris?
 Quæ semel ille dedit munera, sæpè dabit.
 Mille & mille sacris noua glutinat oscula plagis;
 Rursus & illacrymans millia dena legit.
 Nec sat philtrea legi millesima mille per ignes,
 Mille per amplexus, mille per & lacrymas;
 Sed

Sed numero innumero cōturbat & omnia miscer,
 Ora, faces, lacrymas, vulnera, labra, genas:
 Aspectatque gemens necis irreparabile crimen,
 Transfunditque animam funus in egelidum;
 Frigenti que suam ponens in funere vitam,
 Extincto immoritur victima viua Deo.

ELEGIA VII.

MAGDALENA *osculis explorat*
 CHRISTI *Vulnera.*

LASSA Dei opprobriis Crux lamentabile
 pondus
 Tandem vt submitit Magdaleo gremio;
 Magdalis (ah! rātos spectas vigil Hespero luctus?)
 Exanime in corpus vix animata ruit:
 Hæretque amplexu, & strictis caput apprimit
 vlnis,
 Quæque secant pressas spinea ferta genas:
 Frigentesque animam scrutatur anhela per artus,
 Exploratque manu vulnera quanta patent.
 Membra pererrat amans, lustratque sub indice
 tactu,
 Si qua nouæ vitæ vena superstes eat:
 Indagatque sinum lateris, mortisque latebras;
 Plagaque si qua manu, plagaque si qua pede.
 Cūcta sed heu! pallorque, stuporque, geluque, rigorque,
 Vulnera, probra, cruor, deque cruore dolor.
 Et nullum reperit letato in Numine Numen:
 Heu! gemit immenso fata minora Deo.
 In vacuas plagas visum consumit hiantem,
 Cui fera mors Sponsi semina mortis alit.

Fua-